

MENASSEH BEN ISRAEL  
CONCILIATOR,

SIVE

De convenientia locorum S. Scrip-  
turæ, quæ pugnare inter se  
videntur.

Opus ex vetustis, & recentioribus omnibus  
Rabbinis, magnâ industriâ, ac fide  
congestum.



AMSTELODAMI.

Auctoris typis & impensis.

clō. lō c xxxiii.

MENASSEH BEN ISRAEL  
LECTORI S.



FFERO tibi conciliationem omnium locorum, quæ in S. Scriptura inter se pugnare videtur, opus novum, & à nemine nostræ nationis hæctenus tentatum, sed quod ingenium meo majus exposcat. Tamen, si verè fertur labore omnia vinci, id dicere possum, non perfunctoriè me in hoc argumento aliquot annos desudasse. Ac primò quidem cum contenderè inter se discrepantia loca, comperi semper deesse aliquam ex conditionibus quatuor, quas Aristoteles ad verum elenchum, sive contradictionem requirit. Nam ut idem verbis tenus sit subjectum, & prædicatum (utamur sanè verbis Scholarum) tamen vel non intelliguntur eodem modo, ut quando est ambiguitas in voce: vel non secundum idem, ut si diversa attendatur conditio: vel non fit relatio ad idem, sed ad diversa, quomodo duo duplū est ratione unitatis, non duplū ratione ternarii: vel diversum tempus attenditur. Et quia in Lege exactissimæ veritatis, contradictoriis nullus est locus, dedi huic operi nomen CONCILIATORIS, seu de cōvenientia locorum S. Scripturæ, quæ pugnare inter se videntur. Idque quia nunquam ita intricata verba reperi, quin se ostenderet via, quâ quamvis discrepantibus locis veritas adstrueretur. Distinguendo enim omnia plana fiunt. Quemadmodū (ut ait doctus Aben Ezra †) tam ille qui illi nocte lucem illam lunæ deberi ait vera loquitur, quam qui soli eam tribuit, à quo lucem suam luna habet. Sic quoque, ut quintà Quæst. Genes. ostendimus, luna & magna, & parva, appellatur, respectu Solis, & minorum stellarū. Eodemque modo sæpe de Deo duo contraria prædicantur, uti in nullo eum, & in omni loco esse; maximū, & minimum; principium & finem; nimirū pro respectu hujus, aut illius rei. Itaque summa diligentia pervolutis veterū & recentiorū scriptis, non unam tantum, sed complures plerumq; conciliationes reperi, & rationi naturali, & verbis S. Scripturæ valde congruas. Lectoris esto eligere, quam ex iis maximè probaverit. Neq; enim mihi consilium fuit, interponere me tot & tam variis magnorū virorū judicis. Et fortasse, quam ipse prætulerim opinionem, alius rejiciat. Ego certe eas, quæ

† Sophis.  
Elench.

† Ad  
Exod.  
cap. 23.